

**Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**M. Tullii Ciceronis|| Epistolae Familiares.||**

**Cicero, Marcus Tullius**

**Venetiis, 1565**

Ad Matthaevm Senaregam, Ambrosii filium, in Ciceronis epistolas  
familiares Pauli Manutij praefatio.

[urn:nbn:de:gbv:45:1-724041](#)

AD MATTHAEVM  
SENAREGAM, AMBROSII  
filium, in Ciceronis epistolas  
familiares Pauli Manutij  
praefatio.

V O N E, Matthaeo Senarega, an  
T meo dicam felici contigisse fato, ut,  
relicto Louaniensi celeberrimo gy-  
mnasio, quo, tamquam ad mercatum  
bonarum artium, uirtutis, & eloquentiae compa-  
randae caussa concesseras, Venetias te hoc potissi-  
mum nomine contuleris, quod nostri, ut ipse dice-  
re solitus es, uidendi, & cognoscendi mira quae-  
dam te cupiditas incenderat? tu quidem, si tuum  
sensu explorè, uis me hoc tribuere fortunae tuae.  
nam quod ita euenerit, non modo ut ad amicitiam,  
& consuetudinem, uerum etiam ad conuictum,  
et cotubernium meum tibi aditus patuerit; in eo,  
quasi tibi quiddam expetendum contigerit, plu-  
rimum ipse tibi solitus es gratulari. de quo, non  
est meum statuere, uere ne sentias, an secus. at  
illud meum est, paucis ostendere, cur tu contra  
mihi carissimus, iucundissimusq. sis, &, quod  
nunc in meis aedibus tecum habites, tecumq. ui-  
uas, in eo ego quoque meæ felicitatis aliquid agno-  
scam. nam si tu ita de me sentis honorifice, quod iu-  
dicio mouearis: aequum est mihi a te concedi, ue-

A 2 ego



ego de te non minus uere , quam tu de me , iudi-  
care possim . sin istam tibi de me opinionem pe-  
nit humanitas : me quoque non solum natura , sed  
ista iam ratio docuit , praeclarum esse humanitate  
excellere . itaque do me libenter in eam partem ,  
ut homines officijs colam , laudibus exornem , re-  
si opus est , pro mea tenuitate sustentem . Sed me-  
hercule ego de te , mi Matthaee , a uero animi mei  
sensu iudico : nihil me gratia , nihil afficit ambi-  
tio . Primum , cum aliquoties mei salutandi cau-  
sa domum meam uenisses , pelle xisti me in amo-  
rem tui comitatem morum , & lenitate sermonis :  
diende , quod iam non tibi modo , uerum et alijs  
potentibus negaueram , atque excluseram , ut ego  
te domo reciperem , eloquentiae eq . studijs erudi-  
rem , multis precibus usus peruicisti . Nec mibi  
tamen , quod tibi , meorum sermonum cupiditate  
flagranti , meamq . domesticam consuetudinem  
petenti , satis fecerim , adhuc uenit in mentem pae-  
nitere . quin , quo plus ad nostrum conuictum ac-  
cedit temporis , eo maiorem e tuis moribus , tuisq .  
studijs haurio suavitatem . non enim tam hoc in te  
laudo , quod certe in adolescente summa laude di-  
gnum est , quod a studio doctrinae non te suis ille-  
cebris uoluptas , non commodum , non ipsa uale-  
tudinis ratio dederit ; quam illud & admiror , &  
praedicare satis pro dignitate non possum , quod in  
tuis cogitationibus haec tibi prima est , et antiquis  
sima , ut Deum optimum maximum , a quo uno ,  
quae



quae uere bona sunt, emanant omnia, humanis rebus, quae fluxae nimis infirmaeque sunt, omnibus anteponas. Perge adolescens optime in hoc praeclaro diuinoq. sensu. haec est omniū rerū una nobilissima, una, mihi crede, quae omnium philosophorum scientias, una, quae omnium regum operes facile uincat. Quare tu quidem oblectate, quod facis, eloquentiae studio; in qua, quo modo principia se dant, futurum auguror ut breui superiorem neminem, aliquando ne parem quidem habeas. sed illud stet in primis, neque umquam excedat, omnium uirtutum pietatem in Deum esse fundamentum. ac uide, quot inde tibi bona fluant. Primum tuae saluti consulueris egregie. animi salutem appello, non corporis. decet enim nos aeternam potius illam uitam, omni felicitate circumfluentem, quam hanc, quae temporum spatijs definitur, miserijs numquam uacantem, cogitare. deinde patrem tuum, qui, ut audio de multis atque etiam de te ipso, humanam prudentiam prae diuina religione nihil esse putat, incredibili uoluptate, laetitiaq. perfundes. cui quantum debas, non ex eo solum intellige, quod pater est, sed quod is pater, qui te filium uult esse inter tuos ciues omni re florentem, atque honoratum; qui te consilijs a puero sapientissimis erudiuit; qui te suo exemplo, suis optimis i institutis, ac factis ad laudem quotidie uocat. Tali patri, tam probo, tam tui amanti, tam libenter suas omnes curas

A 3 in te



in te consumenti , curare debes , ut id , quod reli-  
quum est uitae , per te sit iucundissimum . quod  
ita consequeris , si statueris , quibus artibus ideo  
nunc operam das , ut aliquando ceteris hominibus  
elegantia sermonis , & scientia rerum antecellas ,  
earum artium infirmam esse gloriam , nisi perpe-  
tuo erga summum Deum amore , studioq . fulcia-  
tur . Mihi quidem , cui tu carissimus esse aut uis ,  
aut certe ita uideris uelle , ut mihi persuadeas , ma-  
gis ulla re placere non poteris , quam sit in eo ,  
quod instituisti , uitae innocenter & cum uirtute  
degendae studio constantem , tibi q . simillimum ui-  
dero . Et , ut iam nunc intelligas , quos in ani-  
mis hominum amoris igniculos uera uirtus accen-  
dat ; scis quinetum abhinc mensem mihi tecum ni-  
hil fuisse , te mihi numquam uisum , ignotam mi-  
hi tuam faciem , obscurum nomen . nunc , apud  
me quo loco sis , intelligere te puto . paucissimi  
diebus ex conuictu confuetudo , ex consuetudine  
amor , ex amore familiaritas exorta . itaque tecū  
& saepissime sum , quod sub iisdem testis necesse  
est ; & admodum iucunde , quod ea , quae in tuis  
moribus elucet , probitate consequeris . Et quo-  
niam is ego sum , qui , quo me uoluntas ducat a  
ratione profecta , eo perlubenter sequar ; gessi mo-  
rem animo meo , tacite hortanti , ut hanc meam  
ad te amandum propensionem non modo tibi ,  
sed , quatenus ego possim , reliquis etiam homi-  
nibus illustri aliquo officio ac munere declarare .  
\*cumq .



cumq. tulisset casus, ut hoc tempore Ciceronis ep̄  
stolae familiares, eae, quas tu iam legendo & per  
solutādo triuisti, denuo typis, ut nunc loquimur,  
essent imprimenda: peropportuna ad id, quod uo  
lebam, uisa res est. nam, hunc librum si cūm tui  
nominis inscriptione publicarem, putauit me face  
re quiddam, quod utrique nostrum aeq̄ue conueni  
ret; tibi, quia ex his primis Ciceronis ep̄stolis  
ad latīnae orationis elegantiam informatur, ex  
his primis eloquentiae quasi succus, qui qualis ini  
tio fuerit, permagni interest, ebibitur; mihi,  
quia, cum hic liber omnium fere ueretur inter  
manus, circumferet, id quod ego cupio, iuum no  
men, et meum de te iudiciū, meamq. spem quam  
plurimis ostendet: quorum alterum est eiusmodi,  
ut ego tibi nunc ex aequalibus tuis neminem in ul  
lo genere laudis anteponam: altera, cum aetate  
processeris, ea mihi de te pollicetur, quae si euene  
rint, (omnium autem rerum euentus in Deo po  
situs est) uir eris inter viros maximus, et habebit  
a te familiatua memoriam nominis sempiter  
nam, patria uero exemplum in ciuitate uirtutis  
excolenda praeclarissimum. M. D. LIV. men  
se Maio.



## E I D E M.

A E P E rogatus a te , quid sentirem  
de ijs annotatiunculis , ut appellant ,  
quas hominum eruditorum falso , ut  
opinor , nomine in harum epistola-  
rum margine adscriptas uidemus ; respondi de-  
mum id , quod res erat , leues omnino , minimeq .  
dignas , quae legerentur , mihi uideri . tum tu ,  
cur igitur ipse , his , quae tibi non probantur , de-  
letis , eas , quae plus habeant ponderis , quarumq .  
nos utilitas ad legendum alliciat , aliquando non  
reponis ? debes tu quidem hoc non iam nostra cau-  
sa solum , sed filoli quoque tui Aldi ; qui , qua aeta  
te nunc est , iam harum epistolarum libros te au-  
ctore in manibus cooperit habere ; si modo stas in  
eo quod te saepe confirmantem audiuiimus , hoc  
primum Ciceronis libro puerilem aetatem ad elo-  
quentiam esse informandam . Victus sum , Mat-  
thaeo , tuo studio , iniecta praesertim de filio men-  
tione ; quem iisdem , quibus nos , itineribus ire uo-  
lumus . itaque , dum huic rei inscririem , dies ali-  
quot maiorum rerum occupationibus surripui : no-  
taui cum alia paucis uerbis in margine , quae fusi  
us fortasse tractata in uulgatis commentariis re-  
perientur ; in quo placuit studiosorum commodo  
breuitate consulere ; tum , ut arbitror , non nul-  
la , quae partim aliqua in legendendo utilitas , partim  
nouitas ipsa commendabit . quod si ita erit ; opti-  
marum

